

Q. K.
427
13

Π i
2724

DE
CONSVETVDINE. SIGNO. CRVCIS. VTENDI
HAVD. INVENVSTA
DISSERIT. SIMVL. QVE
AD
ACTVM. VALEDICTORIVM
D. XIII. CALEND. NOVEMBER. A. R. S. MDCCCLXVI.
HORA. NONA. INSTITVENDVM
SCHOLAE. NOSTRAE. INSPECTORES
GRAVISSIMOS. OMNES. QVE
PATRONOS. ATQVE. FAVTORES

EA. QVA. PAR. EST. PIETATE

INVITAT

M. IOAN. GEORG. HAGER
RECTOR.



CHEMNICII
LITTERIS. PETRI. CHRIST. IAHNII





DEVM, infinite illud perfectissimum ens, ceterorumque omnium extra se entium auctorem ac dominum existere et ipsa natura et praecipue sacra scriptura luculentissime nos docet. Nulla, inquit CICERO, a) gens est, neque tam immanifecta, neque tam fera, quae non, etiam si ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. Et diuus PAVLLVS testatur; b) quod DEI cognosci potest, id apud eos, scilicet ethnicos, manifestum est, utpote quum DEVS eis patefecerit. Alia clarissima scripturae testimonia de existentia DEI ut nunc taceamus. Hunc vero DEVM omnium huius vniuersi rerum auctorem et dominum rite cognitum religiosissime ut nos creati ab eo colamus et summa, quae concipi potest, veneratione prosequamur nostri officii, quis quaeso dubitabit? Mortalium profecto nemo. Hoc quidem, quod nostro debemus DEO, officium pura, integra incorruptaque potissimum mente peragendum, DEVMque nostrum in spiritu et veritate adorandum esse, iterum natura et scriptura fati superque testantur, c) quia DEVS ipse est spiritus: Verum enim vero ille idem DEVS non mentis tantummodo nostrae, sed corporis etiam nostri auctor et conditor est, hinc aequum piisque quoque est, ut corporis membra nostri iustitiae arma DEO nostro praebemus, d) illumque nostris, quae DEI sunt, et corporibus et animis honoremus, e) Hinc omnis cultus diuinus in internum et externum, vtrumque

a) Lib. I, de Legibus c. 8.

b) Ad Rom. I, 19. II, 15.

c) Sic PLINIVS in Paneg. c. 3. Animaduerto etiam DEOS ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate, gratioremque existimari, qui delubris eorum *puram castamque mentem*, quam qui meditata carmen intulerit. Id quod etiam affirmat IOANNES IV, 24. Spiritus est DEVS, et qui eum colunt, animo et vere debent colere.

d) Rom. VI, 17. e) I. Corinth. VI, 20.

que a DEO mandatum, recte diuiditur. Hic cultus diuinus externus vel priuatus, qui a quolibet CHRISTI cultore priuatum, vel publicus est, qui publice in congregatione Sanctorum in templis exercetur. Omnis autem cultus externus vel ore, vel gestibus, vel actionibus DEO dicatis absolvitur. Hunc cultum externum DEVS ipse in veteri foedere a populo suo sibi exhibendum praecepit illumque variis ritibus et ceremoniis sacris condecorandum iussit, vti ex oraculis diuinis et legibus ceremonialibus clarissime constat. Neque hunc cultum externum neglexit CHRISTVS, sed potius legi ceremoniali obtemperans circumcidebatur, f) patrique suo in templo secundum legem ceremoniam sistebatur. g) Synagogas deinde et templa Iudaeorum frequentabat in illisque publice docebat, h) pueris manus imponebat, i) pascha cum suis discipulis pro more et ritibus consuetis edebat et sacramentum eucharisticum variis ceremoniis ac ritibus adhibitis instituebat. k) Sic etiam APOSTOLOS magistrum suum imitantes non solum cultum diuinum externum retinuisse et quosdam ritus et ceremonias ordinasse et tradidisse ecclesis ex scriptis eorum discimus. Et verisimile est, vt celeberrimus D. MARTIN. CHEMNITIVS noster docet, l) quosdam etiam alios externos, qui in scriptura annotati non sunt, ritus ab Apostolis traditos esse. Nullum est dubium Ecclesiam post Apostolos alios quosdam ritus addidisse. Quid? quod tempore succedente hic rituum ceremonialiumque numerus mirum in modum est auctus. Vt vero hisce de ritibus rite iudicare queamus, quinam probandi, vel improbandi, adeoque retinendi, aut abrogandi sint egregiam nobiscum communicauit normam et regulam summe venerandus CHEMNITIVS I. c. Ritus, inquit, qui ex scriptura sacra ita probari possunt, vt contineant vsu, exercitium et vtilem declarationem eius doctrinae, quae in scriptura diuinitus parefacta est, probandi retinendique sunt. Probandi retinendique praeterea sunt et alii ritus, qui secundum regulam PAVLLI I. Cor. XIV, 40. incitamenta et retinacula pietatis sunt,

(2

f) Luc. II, 21. g) Luc. II, 22. h) Ioan. XVIII, 20. i) Matth. XIX, 13. k) Matth. XXVI, 17. sqq. Marc. XIV, 12. sqq. Luc. XXII, 7. sqq.

l) In Examine Concilii Trident. P. I, Loco II, Sect. 7. p. 107. Edit. GEORGII CHRISTIANI IOANNIS, Francof. 1707. fol.

sunt, adeoque qui I. faciunt ad *aedificationem*, vt homines inuitentur ad verbum, ad sacramenta et ad cetera pietatis exercitia: vt doctrina commodius proponatur, pluris fiat, auidius accipiatur et melius retineatur: vtque accendatur et foueatur poenitentia, fides, oratio, pietas, misericordia, etc. II. Qui feruiunt *ordini*. Oportet enim in publicis ecclesiae congressibus esse ordinem dignum grauitate ecclesiastica. III. Qui ad *decorum* faciunt. Intelligitur autem *εὐχρημοσύνη*, vel tale decorum, vt externis ritibus ostendatur, quid tribuamus verbo DEI, sacramentis et reliquis exercitiis ecclesiasticis, vtque reliqui ad reuerentiam verbi, sacramentorum et congressuum ecclesiasticorum inuitentur et qui IIII. cum Christiana *libertate* non pugnant. Ad hanc normam in praesenti omnes, qui olim in vsu fuerunt et adhuc recepti sunt in ecclesia nostra euangelica ritus examinare, vel saltem eos recensere m) non placet: Placet vero vel vnum, nimirum *eum*, quo *signo crucis vimur*, ritum sub examen vocare, propterea quod obseruamus, hunc ritum, consilio profecto iniquo et irrito, a I. S. SEMLERO vocari *consuetudinem inuenustam*. „Antiquissima, inquit, n) sunt ista crucis, manu signatae, „ministeria, licet nihil quicquam in libris noui testamenti extet, quod „*tam inuenustae consuetudini* auctoritatem praestet.“ Sed quidnam per hanc inuenustam consuetudinem vult intelligi SEMLERVS? Inuenustus proprie idem est ac illepidus et quod sine gratia et fauore est, vulgo *unannehmlich, bestlich, ungeschickt*. Sic CATVLLVS XII, 5. sordidam rem et inuenustam coniungit; CICERO vero de Cl. Orat. c. 67. iuris periculosissimum caussarum patronum appellat *actorem haud inuenustum*, i. e. *keinen ungeschickten Sachwalter*. Auctoritate adeoque horum virorum consuetudo inuenusta vulgo est: *eine unannehmliche, bestliche*

m) Scriptores, qui hos ritus ecclesiasticos copiose recensuerunt egregieque illustrarunt, diligentissime collectos nobiscum communicauit I. A. FABRICIVS in Bibliographia Antiqu. opera PAVLI SCHAFFS-HAVSENII tertium edita, Hamb. 1760. 4. C. 4. p. 178. sqq. Quibus noua addenda est editio primarum linearum Breviarii Antiquitatum Christianarum ductarum a celeb. SIG. IAC. BAUMGARTEN. Scholia multa addidit I. S. SEMLERVS, Halae Magdeb. 1766. 8.

n) In scholiis suis ad Sig. Iac. Baumgartenii primas lineas Breviarii Antiquit. Christ. antea citatas, p. 228.

liche und ungeschickte Gewohnheit. Et hac in significatione hac voce, tanquam sibi propria, saepius in Scholiis suis vsus est SEMLERVS. Sic deprehendes ibidem documenta inuenusta, i. e. nullius pretii, valoris et vana, p. 10. sententiam inuenustam, i. e. erroneam, p. 27. comparationem inuenustam, i. e. ineptam, p. 43. Exorcismum inuenustiore rudiorum temporum consuetudinem, quae poterat inter Christianos omitti, p. 51. Homines vanos, imbelles, inuenustos et impios coniungit, p. 98. amorem martyrum inuenustum, i. e. nimium et indecentem, p. 99. inuenustum modum, i. e. ineptum p. 106. ministeria inuenusta et ludicra, p. 147. Israelitas rudes et inuenustos, p. 175. inuenustos ministros, i. e. ineptos, p. 179. superstitionem inuenustam, p. 205. Eum in finem haec omnia adduximus, vt quibus cognoscere posset lector, consuetudinem inuenustam, SEMLERO esse consuetudinem fordidam, nullius pretii, erroneam, ineptam atque illepidam. Sed nunc inquiramus necesse est, vtrum iure meritoque tam foedo hic ritus vtendi signo crucis nomine insigniri possit, ac debeat? Negamus, et quilibet sanioris mentis nobiscum pernegabit hoc. Originem, tempus et locum, quo primum hic ritus in ecclesia Christiana sit receptus, chartae angustia impeditus curatius in praesenti euoluere non vacat o) Interim omnes antiquitatum Christianarum scriptores consentiunt, antiquissimum hunc esse ritum frequentissimumque. At nullum in antiquitate, quanquam haud leuis ea est ponderis, quaerimus praesidium, sed potius in fine et occasione, qua olim sunt vsi Christi cultores primaevi, et qua hodie adhuc in euangelica nostra eaque vera ecclesia vtimur. Sic hodie adhibetur signum crucis in aere digitis formatum 1) in Sacramento Baptismi, vbi hoc sacro lauacro ablu-

)(3

endi

e) Qui vero ritus huius origines scire cupit praeter alios euoluat IOSEPHI BINGHAMI Origines et Antiquitates eccles. a IO. HENR. GRISCHOVIO latine redditas et X. Voll. Halae editas 1724 -- 1729. 4. D. CHRISTOPH. HENR. ZEIBICHII Diss. de signo crucis e templis nostris non eliminando. Vitemb. 1735. 4. et CASPARIS CALVOERII Rituale ecclesiast. Ienae, 1705. 4. P. I. et II. Quem posteriorem librum vel ea quoque ex causa hic nominare fas erat, vt debitas Nobilit. I. G. HERRMANNNO, Senatori et mercat. vrbis nostrae celeb. ageremus gratias, qui eum, et vna cum eo WILLIAMI CAVE Antiqu. patr. et ecclesiast. Biblioth. nostrae scholae obtulit dono.

endi hoc signo notantur. 2) In consecratione panis et vini in Sacramento S. coenae et quando haec symbola sacra inter communicantes distribuuntur. 3) In absolutione peccatorum perfecta confessione publica in cathedra sacra, vel etiam facta absolutione publica in sella confessionaria, vel priuata. 4) In ordinatione sacerdotum. 5) Peractis benedictionibus publicis finitis sacris. 6) In precibus publicis et priuatis. 7) In copulatione nuptorum aliisque actionibus adhuc sacris. "Antiquissimis temporibus non erat hoc signum, vt CHEMNITIVS recte monuit, p) ad cultum et adorationem propositum. Non enim tunc aliquid subsistens erat, sed tantum erat *professio* et *communesactio*, quod in Christum crucifixum crederent atque omnem in ipso spem et fiduciam collocatam habere." Neque hodie alium in finem in ecclesia nostra euangelico-Lutherana recte nostro GERHARDO, q) et ipsa experientia quotidiana hic ritus exercetur, nisi vt signum externum *benedictionis* et *consecrationis*, memoriam renouans crucis CHRISTI, hoc est, passionis CHRISTI in cruce, quae est fons omnis benedictionis, vsurperetur, nequaquam vero vis aliqua spiritalis ei tribuatur. Hinc iure meritoque hic ritus signo crucis vtendi retinetur, propterea quod istiusmodi ritus externi neque in V. neque in N. Testamento a DEO prohibiti, sed potius mandati et a CHRISTO illiusque Apostolis sacissime obseruati sunt, vt supra demonstraui. Accedit praecipue et hoc, quia hic ritus 1) vtilem et necessariam *declarationem* et *professionem* fidei christianae in se continet. 2) Quia multum ad *aedificationem* facit, quum CHRISTVM crucifixum in memoriam reuocat, et signum *benedictionis* et *consecrationis* exhibet. 3) Quia a *decoro* non abhorret, sed potius ad reuerentiam CHRISTO pro nobis in cruce mortuo praestandam inuitat. Nec 4) cum *libertate* christiana pugnat. Qua igitur fronte et quonam animo SEMLERVS hunc pium, laudabilem et in tam variis pietatis officiis obuium ritum appellare potuit *consuetudinem inueuissam*? Non quidem negamus, nonnullos et olim hoc signo crucis abufos esse et hac nostra aetate extra nostram ecclesiam abuti; De his vero

p) In Exam. Concil. Trident. P. II. Loc. II. Sect. III. c. 2. p. 44.

q) In Loco de S. coena §. 156.

to non est sermo, sed de usu legitimo, qui non inuenustus dici meretur. Quidnam enim est inuenusti signo externo crucis profiteri, se esse CHRISTI cultorem? Quidnam est inuenusti memoriam CHRISTI hoc signo renouare? Quidnam est inuenusti benedictionis fontem, passionem scilicet CHRISTI in cruce, meminisse? Inuenustum potius, et iniquum est, istiusmodi pium, in ecclesiis nostris receptum et in Libris nostris symbolicis probatum r) ritum irridere et contemnere et CHRISTVM illiusque memoriam tam parui aestimare, vel profus ex ecclesia proferbere. Non anxie inquirendum esse putamus, quibusnam in contumeliam coetus purioris profus inuenustam placere studeat SEMLERVS. Quis facile hariolabitur. Sed non omnes Reformatorum sic dictorum doctores sunt huius ritus contemtores, vt doctissimus IS. CASAVBONVS testatur, s) iniquens: "Non fert fides Christiana „vt aliqua signo crucis propria virtus miracula efficiendi tribuatur, „Scimus veſo, veterem ecclesiam et in vitae communis usu, et in „ritibus sacris, multum usam esse *venerabili* illo signo: sed vt *pia* „cerimonia, quae orationi adiecta, animos fidelium ad CHRISTI „crucem eucheret; non materiae alicui terrenaе, aut figurae, aut „gestui affigeret“ Hoc sensu sanctissimi prudentissimique illi Antistites, qui ecclesiae in Anglia reformandae negotio praefuerunt; et in publicis locis cruces passi sunt remanere et in nonnullis etiam *ritibus sacris retinuerunt*, vt in Baptismo. Et haec de consuetudine signo crucis vtendi non inuenusta dicta sunt. Nunc ad id, cuius causa calamum arripuimus nos conuertimus. Nimirum, iuuenes quidam bonae spei ac indolis vires suas in arte dicendi periclitaturi publice prodire cupiunt, et quidem

I.) CAROLVS GODOFRED. MÜLLER, Ottendorf, M. de arte regnandi apud Romanos dicit *lat.*

II.) GEORG. HENR. KVHNIVS, Grosmilckau, M. praestantiam religionis canet *carm. teut.*

III.)

r) Vide Catechism. minor, Lutheri p. 383. Edit. Rechenberg. Lips. 1705. 8.

s) In Exercitat. Anti-Baron, XIII. n. 68.


QK II: 2724 X337684A
III.) IOAN. ERHARD. PFNAVSCHNERVS, Chemn. M. de
ratione agendi sapientis in rebus secundis et aduersis perora-
bit *græce*.

IV.) GOTTHOLD. BENIAM. HERTELIVS, Bufendorf. Lipf.
Viri plurimum reuerendi atque doctissimi, M. IOANNIS
MICHAELIS HERTELII, Pastoris Culmitzsch. meritiss. filius,
triennio apud nos eximia cum laude peracto, abiturum in acade-
miam Lipf. nunc rite prae paratus parat, non sine gratissima
spe, fore, vt aliquando reipublicae saluberrima praestare que-
at officia. Apud nos enim partes discipuli pii, diligentis at-
que modesti probe sustinuit. Hinc etiam factum est, vt non
solum in iis, quae ad comparandam eruditionem requirun-
tur, linguis, sed etiam in artibus elegantioribus haud contem-
nendos faceret progressus. Specimina cum plausu publice
edidit A. clo 15 cc LXV. diem rure bene peractum et A. clo 15
cc LXVI. liberalitatem b. S. SIGELII decantans *carm. teut.* In
praesenti vltimum vale nobis acclamabit *carm. teut.* praemis-
sa *orat. lat.* de Genio apud gentiles, praecipue litterarum ad-
iutore. Cui

V.) EMANVEL. FRID. SCHMIDTIVS, Erasthal. Schönburg,
suo suorumque commilitonum nomine faustissima precabitur
carm. teut. praemissa *orat. teut.* de subsidiis assequendi eru-
ditionem.

VOS tandem INSPECTORES GRAVISSIMI, PATRONI
atque FAVTORES honoratissimi, appello simulque ea, qua de-
cet, obseruantia rago atque obtestor, vt frequenter huic actui be-
neuole interesse nostrosque dicturos benigne auscultare velitis. VE-
STRAM hanc nobis gratissimam beneuolentiam laudabimus, praed-
icabimus. Scribebam Chemnicii, d. 18. Oct. A. R. S. clo 15 cc LXVI.





B.I.G.

Farbkarte #13

Π i
2724

DE
 NE. SIGNO. CRVCIS. VTENDI
 AVD. INVENVSTA
 ERIT. SIMVL. QVE
 AD
VALEDICTORIVM
 D. NOVEMBER. A. R. S. C[O] DCCCLXVI.
 NONA. INSTITVENDVM
OSTRAE. INSPECTORES
 SIMOS. OMNES. QVE
S. ATQVE. FAVTORES
 QVA. PAR. EST. PIETATE
 INVITAT
 N. **GEORG. HAGER**
 RECTOR.

CHEMNICII
 S. PETRI. CHRIST. IAHNII

BIBLIOTHECA
 UNICIAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
 HALLE
 (GAALE)